

diem suum obiit anno Salutis instauratæ, Millesimo, quingentesimo, & quinquagesimo nono. Sed raræ magnitudinis lapis in eadem cysti memorandi principis Friderici tertij cognomento Prudentis (cuius paulò post ubi de vesicæ, quæ urinæ receptaculū est, lapillis egero, mētio fiet) peruestigatus fuit, forma quadrangula, articuli granditate, sed colore aliorum dissimilis, quasi ad prasinum accedente.

Hoc duplo maiorem nobilissimus Anatomicus Gabriel Valopius in postrema sua Anatome, quā paulò ante obitum Anno 1562. in celebri Academia Patauina absoluit, è felle viri cuiusdam inter cæteros, quorum centum & viginti tres numerati fuisse, exemit, instar femioui gallinacei, grandiusculum, latiore quàm rotundiorē, digitum vnū crassum, multisq; tuberculis asperū, vt tophus leuē, & luteū: reliqui, modicas fabas: minimi atq; plurimi, pisa quātitate retulerūt.